



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

Sectio II. Aduocatia Ducum Luxemburgensium suprema est, & extendit se
ad omnia Monasterij bona vbicunque sita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

Margaretha Ducissa Parmensis Gubernatrix Belgij, cuius multa extant rescripta defensionalia Monasterij, duo apposita habes, vnum sub Numero 73. alterum sub Numero 74. Deinde Alberus Archidux initio Gubernator Belgij, mox etiam cum Isabella Infanta Hispaniarum Dominus & Princeps, adeoque Hereditarius S. Maximini Aduocatus, cuius, vt & Isabellæ defensionales habes sub Numero 78. Sicut & Cardinalis Infantis Ferdinandi hodie summa potestate & felicitate pro fratre Rege Belgium administrantis sub Num. 90. & Ferdinandi II. gloriosissimæ memoriæ Imperatoris ad Serenissimam Infantam Isabellam sub Num. 89.

Ex quibus omnibus luce clarius apparet, Principes Luxemburgenses omnes à primo vsque ad vltimum, & hodiernum fuisse Aduocatos & Protectores Maximinianos.

SECTIO II.

Aduocatia Ducum Luxemburgensium suprema est, & extendit se ad omnia Monasterij bona ubicunque sita.

NON restrictam vlllo modo, sed amplissimam fuisse præfatam Aduocati-
tiam pluribus rationibus ostenditur.

Primo, quia Luxemburgenses Principes olim soli *Aduocati*am seu Aduocatiæ bannum vt vocabant, à Regia manu suscipiebant, adeoque à Regibus & Imperatoribus Aduocatia inuestiebantur, tanquam beneficio Regio & Imperiali, vt de Giselferto Sigifridi primi Comitis Luxemburgensis nepote & Monasterij Aduocato, expressè habetur in litteris Henrici NIGRI Imp. de anno MLVI. vbi hæc habentur. *Aduocatus vero Giselfertus, qui in presentiarum est, alijsque Successores ipsius, qui Bannum à Regia manu susceperint, &c.* vide Diploma Num. 24. Idem habetur de Conrado Giselferti filio, Aduocato Monasterij, vt patet in litteris Henrici SENIORIS Imperatoris de anno MLXV. vbi hæc loquuntur: *Aduocatus verò Chonradus siue Successor ipsius, qui bannum à Regia manu habuerit.* Idem habetur de Guilhelmo Conradi filio & Monasterij Aduocato, vt patet ex litteris Henrici IUNIORIS Imp. de anno MCXII. in quibus dicitur, *Aduocatus verò VVilhelmus, qui in presentiarum est, &c.* planè vt supra in alijs, eas habes sub Num. 30. Idem habetur de Conrado II. Guilhelmi filio & Monasterij Aduocato, vt patet ex ipsiusmet Conradi litteris de anno MCXXXV. in quibus, tanquam Aduocatus Aduocatiæ suæ iura declaraturus, sic incipit. *Ego Conradus Comes de Luzelenburg, postquam prouidente Deo post discessum pijsissimi Genitoris nostri VVilhelmi Comitis, de manu Regia, quidquid iuris nostri est, cum omni integritate recepimus.* litteras vide sub Numero 32. Simili modo Henricus CÆCVS SEV NAMVRCENSIS, habuit Aduocatiæ ab Imperatore Conrado II. vt patet ex litteris præteritis, quas allegat Aduerfarius Scriptor in suo libello pagin. 164. Similiter & Rudolphus Primus Imp. commisit Aduocatiæ Henrico Secundo, Henrici BLONDELLI filio. Vide litteras Rudolphi sub Numero 37. Item Carolus Quartus Imperat. Wenceslao Duci primo Luxemburgensi sub Numero 38. & Fridericus IV. Imp. Philippo BONO Burgundo vt est sub Num. 47.

Et tamen omnes alij Aduocati, qui supremi non erant, neque Generales, sed particularium tantum Monasterij locorum Aduocati quales plures

etiamnum habet non à Rege vel Imperatore, sed ab ipso tantum Abbate Aduocatas accipiebant, ita vt posset Aduocatas illas dare, quibuscunque vellent Abbas, easque tollere quibus vellent, vt docent litteræ plurimæ. Vt Ottonis Magni de anno DCCCCLXX. datæ Rauennæ, in quibus habetur, *Decreuimus nostræ autoritatis præcepto, vt idem Abbas Thierfridus S. Maximini Præsul, eiusque Successores Aduocatas habeant quibus velint dandi, quibusque velint, tollendi potestatem, eas habes sub Num. 15.* Ottonis II. de anno DCCCCLXXIV. datæ Wormatiæ, in quibus habetur, *Abbas sibi que commissa congregatio, eorumque Successores potestatem habeant, Aduocatas Monasterij sui, cui velint dandi, cuique velint tollendi, vide illas sub Num. 16.*

Idem concedunt & decernunt Ottonis III. sub Num. 18. S. Henrici Imperatoris sub Num. 19. & aliæ eiusdem sub Num. 20. Conradi Salici sub Nu. 31. Caroli IV. sub Num. 40. Wenceslai, ac nouissimè Ferdinandi II. Cæsarij N 88.

Ex quibus infero Aduocatum eum seu Protectorem qui ab Imperatoribus ordinatur eorundem Imperatorum Ditionem territorijque latitudinem sequi, siue æquè latè patere & ad omnia loca tempore primæuæ Protectionis Imperatoribus subdita se extendere, vbi vbi illa sint, modò ad Monasterium pertineat. Vide Martinum Magerum à Schönberg, de armata Aduocata, *cap. 9. num. 808. & seqq.*

Secundo, quia aliquando vna simul cum Abbate Luxemburgenfes Principes per Curtes & Villas Aduocatos particulares & inferiores constituiebant, vtique tanquam supremi. Sic enim loquitur Conradus II. Comes Luxemb. in litteris de anno MCXXXV. quibus ius Aduocatiæ suæ iudicialiter coram Abbate Gerardo & ministris explicat. *Per curtes verò Aduocatiæ Aduocati, qui de manu nostra Aduocatas tenent, non nisi ter in anno tantum placitare debent.* Itaque supremus Aduocatus de manu Regia *bannum* & Aduocatiæ accipiebat; Inferiores verò Aduocati, volente & nominante eos Abbate, aliquando de manu Principis Luxemburgenfis, tanquam Aduocati supremi & vices Imperatoris referentis. Nunc iuxta Priuilegia Regum & Imperatorum omnia vetera & noua, soli Abbates Aduocatas inferiores dant & tollunt, prout lubet, & sic etiam modo habet praxis à centenis aliquot annis obseruata.

Tertio, quia Luxemburgenfibus Principibus Maximinianis Aduocatis ab Imperatoribus concessa fuit defensio Monasterio vniuersim & cum vniuersitate. Sic enim Rudolphus Imperator sub Num. 37. ad Henricum Hentici VII. post Imperatoris parentem, *Abbatem & Conuentum Monasterij S. Maximini Treuirensis in omnibus iuribus & libertatibus suis, quoad homines & bona attinentes eidem Monasterio, iuxta priuilegiorum suorum tenorem, ipsis à Romanis Imperatoribus, & Regibus & nostris antecessoribus indulgentiorum, & à nobis confirmatorum, autoritate nostra Regia tuearis, protegas & defendas, &c.* Item Carolus IV. Imp. ad Wenceslaum Luxemburgensem adhuc Comitem, postea Ducem, postquàm pluribus vniuersitatem Monasterij protegendam tanquam Aduocato concessisset, vt videre est sub Num. 38. tandem sic concludit, *Non permittens prædictis Abbati & Conuentui in ipsorum bonis, redditibus, fructibus & possessionibus, hominibus & seruatoribus quibuscunque, quas & que in Comitatu Luxemburgenfi, vel extra habent, seu habere noscuntur, à quocunque, vel per quemcunque, cuiuscunque status vel præminentie existant, aliquam iniuriam, turbationem & aliquam irrogari.* Item Fridericus IV. Imperator ad Philippum Bonvm Burgundiæ Ducem, vt est sub Num. 47.

Denique vsus & praxis obseruantiaque, à tempore omnem hominum me-

moriam

moriā excedente, eiusmodi fuit, vt Principes Luxemburgenses perpetuò & in omnibus casibus se offerentibus, Protectionem Maximinianam in bonis tam extra, quam intra Luxemburgense territorium sitis, exercuerint, quam ob causam Principibus Luxemburgensibus præstantur à Maximinianis & semper præstita fuerunt seruitia, quæ habentur fusè partim in citatis sæpiùs instrumentis Henricorum Imperatorum Nigri, Senioris, Iunioris & Conradi II. Comitis Luxemburgensis, partim in antiquissimo Abbatis Bartholomæi libro ante annos CCCC. conscripto.

SECTIO III.

Eadem Aduocatia apud Ducem Luxemburgensem hæreditario Iure semper mansit.

PER continuam Comitum ac Ducum Luxemburgensium seriem præfatam Aduocatiā inde à primo vsque ad hodiernum regnantem Regem Catholicum, Ducem Luxemburgensem iure Successionis deuolutam, ac consequenter hæreditariā & huic familiæ quodammodo innatam ac omnino propriam esse, iam euidentius esse puto, sed insuper confirmatur rationibus & considerationibus sequentibus.

Vt ex eo, quòd cum vnica filia hærede tertio Aduocatia transferit ad eos, ad quos transiit Comitatus vel Ducatus Luxemburgensis hæreditas; primò quidem in Ermefinda PRIMA ad Namurcenses, inde in Ermefinda SECUNDA ad Limburgenses, vt pluribus supra ostensum, tertio in Maria Burgundica Caroli Audacis filia ad Domum Austriacam & Hispanicam. Vide Martinum *de Aduocatia armata*, c. 9. 11. 26. pag. 442. & seqq. vbi ostendit & in muliere posse esse Aduocatiā, & in maritum communetque liberos deinceps transferri.

Ad hæc ex eo quòd Ioannes CÆCVS Rex, diuidens testamento hæreditates, illi transmisit Aduocatiā, cui transmisit Comitatum Luxemburgensem, scilicet Wenceslao Iuniori natu, quem Aduocatum Maximinianorum agnoscit maior natu Carolus IV. Imp. sicut agnoscebat Comitem Luxemburgensem, iuxta litteras sub Num. 38. Namque Comitatu Luxemburgensi tanquam Imperiale beneficium annexa erat Aduocatia Maximiniana: vnde Imperatores Aduocatiā committentes Comitibus Luxemburgensibus, vel de eius iuribus agentes, agunt simul de Successoribus eorum. Henricus NIGER Imp. Giselberto Comiti Luxemburgensi declarans quid Iuris ratione Aduocatiæ haberet, in suis de anno MLVI. sic loquitur, *Aduocatus verò Giselbertus, qui in presentiarum est, alijque Successores ipsius, qui bannum à Regia manu susceperint, proxima die post Festum S. Maximini & placitabunt.* vide sub Num. 24. Henricus SENIOR Imperator Conrado Comite Luxemburgensi petente, iura Aduocatiæ suæ illi exponens anno MLXV. sic habet, *Chuonrado etiam Comite, & eiusdem loci Aduocato annitente & summopere petente, assensum prabentes & paterna traditioni (Giselberti enim patris iura Conradus sibi filio declarari petebat) per omnia consentientes & constituimus &c. & mox infra. Aduocatus vero Chuonradus siue Successor ipsius qui bannum à Regia manu habuerit & placitabit &c.* Henricus IUNIOR Imp. anno MCXII. Guilielmo Conradi filio ius suæ Aduocatiæ exponens, sic prosequitur, *Aduocatus verò VVilhelmus Comes, qui in presentiarum est, siue Successor eius, qui bannum à Regia manu susceperit &c.* vide litteras sub